Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31284
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

sed tamen coram domino in loco quem elegerit dominus ibi comederent cum uxore et liberis suis et ancilla et levita qui collectaneus esset. In quo precepto videntur fraudari levite quibus primitie debebantur. Unde quidam dicunt hoc semel factum cum primo scilicet terram obtinuerunt. Tunc enim predicta domino obtulerunt et deinceps reddiderunt ea levitis. Sed hoc nichil est quia dominus non dum locum sibi elegerat in terra. Unde alii dicunt quod singulis annis hoc fiebat. Sic prima parte decime totius ut prima gelima grani prima amphora vini vel olei separabat sibi quam decimam dabat levitis et illa modica parte decimarum ferebat secum in Ierusalem et epulabatur inde coram domino et hoc inde coniectat quia hec decima precipitur poni in cartallo quod modicum vas est non vero caperet decimam. Sed hic de primogenitis et primitiis et votivis et spontaneis nichil determinat. Unde verior est hic textus Hebreorum. Singulis annis Hebrei duas faciebant decimationes bonorum suorum. Primam separabant levitis de hac dictum est Desudet elimosina in manu tua donec invenias iustum cui des. id est illum cui debes. Item novem reliquas partes decimabant et hanc secundam decimam sibi reservabant et ex eo ter in anno cum ascendebant in Ierusalem oblationes et epulas sibi et domui sue faciebant et levitam contellaneum qui etiam cum eis ascenderat invitabant. In eosdem usus sibi reservabant secundum alios post primogenitum quasi secundum primogenitum et similiter post primitias tantundem sibi reponebant quasi secundas primitias. Qui autem ampliora hiis in illis tribus festis expendere volebant aliquid de bonis suis adhuc separabant et cum predictis servabant vovens ea domino. Preterea quedam etiam in illis solempnitatibus preter ea que diximus sponte quedam expendebant ad honorem domini. Et hec secundaria precepit Moyses ferri ad locum sanctum et comedi coram domino. tamen remotioribus licebat ista vendere in loco suo et ferre precium secum et emere sibi in Ierusalem quod desiderabat anima sua. Preterea tercio anno duabus decimis sublatis ut diximus tertiam faciebant item decimationem in usus pauperum et hanc reponebant apud se ut haberent unde darent peregrino et advene pupillo et vidue egentibus et etiam levitis si indigerent. In usus vero proprios ex hac nichil impendebant et de hac dictum est omni penitenti de tribue.

Addidit etiam quod si etiam frater aut uxor aut filius aut amicus specialis persuaderet alicui ad cultum ydolorum propter forte affluentiam que sequebatur gentiles non occultaret eum sed vinctum ad consessum obrueret populus lapidibus et ille cui persuaserat primus poneret manum suam super eum. Eodem modo civitas adversus civem insurgeret et deleret eam si persuaderet recedere a cultu dei. Incisuras etiam et calvitium super mortuos fieri prohibuit quod est sanguinem suum fundere et capillos tondere et sacrificare mortuis ut ethnici faciunt. Prohibuit etiam morticina comedi sed addidit quia illa etsi sibi immunda possent dare aut vendere peregrinis et advenis quia alie nationes licite vescuntur multis que interdicta sunt Hebreis. Septimo etiam quietationis anno addidit Moyses ne creditor exigeret debitum a debitore Hebreo. Dumtaxat a peregrino poterat exigere et ob hoc vocatur annus ille remissionis. non enim tamen cum erat iubileus. In iubileo enim dimittebantur debita in hoc differebat. Preterea prohibebat etiam in primogenitis bobus arari et vellera primogenitorum tonderi per quod innuit nichil de primogenitis sumi debere vel fieri in usus proprios quia levitarum erant quod si maculam haberent primogenitum poterat comedi in suo loco sed non coram domino.

Repetens etiam dominus Moyses de festo pentecostes ait. Septem ebdomadas numerabis tibi ab ea die qua falcem in segetem miseris et celebrabis diem festum ebdomadarum domino deo tuo. hoc ut dicit Ieronimus Hebrei nec ad litteram nec ad spiritum custodiunt. Tunc enim non eodem die fieret

al's contellaneus

//iustum

.i. re

secundam decimam

De debitore exigendo